

NÆNIA SEPULCHRALIS
IN MEMORIAM
VIRI

PERQUAM MAGNIFICI, PRÆNOBILISSIMI,
ATQUE CONSULTISSIMI

DOMINI
DIDERICI MEIERI,

JCTI EXCELLENTISSIMI,
LIB. REIP. BREMENSIS

CONSULIS SENIORIS, DUM VIVERET, DIGNISSIMI,
NEC NON

ECCLESIARUM AGRI BREMENSIS VISITATORIS VIGILANTISSIMI, &c. &c.

DECANTATA,

^{AB}
EJUS MOESTISSIMO FILIO,
JOHANNE MEIER,

LITER. ET JURIS STUDIOSO.

BREMÆ,

TYPIS VIDUÆ B. H. C. JANI, QUONDAM ILLUST. GYMNASII TYPOGR.

1751.



D O M I N I



uis novus attonitas horror mihi concutit
aures?

Quis color in pavido pallidus ore
fedet?

Heu mihi! quid dicam, quo carmine funera plangam?

Funera, proh nobis noxia facta nimis!

Conquerar, an fileam? subita nunc morte peremptus

Cecidis, O PATER, & plangeris absque tuis?

Quid mirum! tristes durus rigor urget ocellos,

Craque singultu pallidiora sonant.

Fas pietasque jubent tumulo præbere paterno

Et decus & mentis thurea dona piæ.

Sed dolor infandis mordens præcordia curis

Injecit linguæ vincula dura meæ.

Sæpe conor fari, sed vox mihi faucibus hæret,
Denegat officium penna tremensque suum.
Nec, partes animum moeror dum versat in omnes,
Is juste reputat, quæ reputanda forent.
Ne tamen extremo pietas TIBI munere desit,
Expleat id fracto querquera Musa sono:
Et jungat gemitus, & si dolor obstruit ora,
Vel lacrymis, nequiens voce, parentet amor.
Vulnera quanta ferat genitoris funere natus
Dicere nemo, nisi filius ipse potest.
Quo magis excellens, rarum carumque putatur,
Quod nobis subito fors inopina rapit;
Hoc graviore premit mentem jactura dolore
Ejus, & ærumnis tristia corda replet.
Heu mihi! quot citis igitur moeroreque quanto
Me nunc discruciat mors TUA, CARE PATER.
Flebilis ut *multis* obeas, *Urbique* dolendus,
Nulli flebilior me sed obire potes.
O PATER! o rerum fiducia summa mearum!
Ah mihi nunc nimium TE moriente perit!
Sed flendi modus esto tamen: nam flemus ademptum:
Non velut amissum: sit minor ergo dolor.
Scilicet ista Dei fuit haud mutanda voluntas
Arbitrium vitæ qui tenet atque necis.
Coelitus accinit hic fesso: *datur hora quieti!*
Huc ades & Domini gaudia carpe tui.

Sat curis operisque datum longoque labori,
Nunc TIBI jam dudum premia parta cape.
Sic ait; & subito PATRIS vinculisque solutus
Corporeis animus coelica tecta petit.

ULTIMUM PROSPHONEMA.

Ergo dilectum requiesce corpus
Molliter moesto tumulo sepultum;
Donec ad vitam sonus excitabit:

Surgite cuncti.

Nos brevi posthac pariter sequemur,
Queis viam monstras præeundo, ibidem
Cum choro nos spirituum canemus
Carmine Jovam.

